

sagaciter cum Davide pastor gregis, cum
Helya zelator legis, cum Helyseus retri-
butor reis et honorum fidelis dispensator
summi regis. Nam bonus pastor se et
sua pro grege suo custodiendo exponit,
Christo summo pastore dicente; Bonus
pastor animam suam ponit etc. Quod
summopere hic facere studuit, ut
luculenter patuit, dum oves perditas
clericorum per Metenses proscriptos hume-
ris propriis, scilicet suis laboribus et
expensis ad loca propria reportavit et
reduxit. Metenses quidam propria temeritate
cellaria canonicorum intraverant, ut
taxalis vinis exactionarent, prout de
sancto fecerant, ymo plures clericos
et abbates ut eis rebelles proseriperant
et quasi continue proseribendi consue-
tudinem introducerant, propter quod
dictus ^{dominus} ~~rex~~ Metensis Theodericus eos multo
tempore excommunicavit et locum
interdixit. Sed finaliter sententiam contra
eos obtinuit una cum expensis. Sicque
quasi lupos eos coercento compescuit
gregem suum, scilicet cleram defendendo
et custodiendo non sine magna labore,
quod patet ex ~~met~~ nomine ville. Constat
quod usualiter dicitur villa Metensis
non civitas, quia civitas est civium
unitas, sed Metenses non consueverant
inter se esse concordēs nisi contra cleram
et nobiles; figurati per illud monstrum
quod Appollo sub pedibus tenuit, cuius
corpus serpentinum tria capita habens,
caninum, lupinum et leoninum, in signum quod

a/c corr m. r.